



# The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **SIBOLGAËNSIS**\*PRAEFECTURA  
APOSTOLICA SIBOLGAËNSIS IN INDONESIA  
AD DIOECESIS GRADUM ET DIGNITATEM EVEHITUR

Sibolgaënses res religiosas una cum civilibus recentiore hoc tempore feliciter crevisse cum sit notum, sententiam accipiendam esse putavimus Sacrae Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide atque ab eadem prolatum votum, ut Praefectura Apostolica Sibolgaënsis in Indonesia ad dioecesis gradum et dignitatem eveheretur. Quare, pro certo habentes in animarum bonum id esse cessurum, audito favorabili voto quorum interest, sequentia decernimus. Praefecturam *Sibolgaënsis* in dioecesium numerum recensemus, immutata appellatione finibusque. Episcopi sedes in urbe vulgo Sibolga ponatur, episcopalis vero magisterii cathedra in templo ibidem Deo dicato in honorem Sanctae Theresiae, quod cathedralis sacra aedes erit, iustis cum iuribus. Episcopo autem, praeterquam quod debita iura damus, obligationes etiam imponimus residentium Episcoporum propria. Novam praeterea dioecesim suffraganeam facimus metropolitanae Sedi Medanensi atque iurisdictioni Sacrae Congregationis pro Gentium Evangelizatione obnoxiam. Mandamus insuper ut, quoadusque Canonorum Collegium per aliquas sub plumbo Litteras condatur, consultores dioecesani deligantur, ad normam iuris, qui sacro dioecesis Praesuli assistant. Cetera ad Ius Canonicum disponantur, ad amussim. Haec quae diximus ad effectum adducat Venerabilis Frater Paulus Puente, Archiepiscopus titulo Macrensis in Mauretania, vel ab eo delegatus sacerdos, et ad Sacram Congregationem pro Gentium Evangelizatione congrua documenta de more mittat signata sigilloque impressa. Has Litteras Apostolicas ratas esse sive nunc sive in posterum volumus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die vicesimo quarto mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo, Pontificatus Nostri tertio.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI

*a publicis Ecclesiae negotiis*

AGNELLUS Card. ROSSI

*S. Congr. pro Episc. Praef.*

\*A.A.S., vol. LXXIII (1981), n. 1, pp. 8-9

© Copyright 1980- Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana